

15 ἔρημα δ' ἄλση καὶ θεῶν ἀγάλματα
 φόνῳ καταρρεῖ· πρὸς δὲ κρηπίδων βάθροις
 πέπτωκε Πρίαμος Ζηνὸς Ἐρκείου θανών.
 πολὺς δὲ χρυσὸς, Φρύγιά τε σκυλεύματα

V. 15. ἀγάλματα. Ita rescripsi ex optimi Cod. Flor. lectione. Ceteri omnes ἀνάκτορα. Utraque lectio bona. Huic quodammodo fauet locus Ion. 1224. ἐν τ' ἀνακτόροις φόνον τιθεῖσιν. Illam tamen anteposui, quod commodiorem cum sequentibus habet nexum. Nam κρηπίδων βάθροις cum Aemil. Porto et aliis de templi gradibus interpretari vetant non modo infr. v. 483. et Hec. v. 23. ubi Priamum, quae et apud alios constans fama est, ad Iouis aram necatum esse cognoscimus, sed ipsum etiam, quod hic et infra adiicitur, Iouis epithetum. Neque enim Iouis Hercei, quem Penetralem Latini appellant, fuere templa, sed, sicut Penatum, in aedium penetralibus arae, et, quae his adiuncta esse solebant, simulacra. Vid. Suid. v. Ἐρκείος Ζεύς. Eustath. ad Odys. γ', 335. coll. Virg. Aen. II. 513 seqq. Deinde voce ἄλση templa simul comprehendi possunt; quin ἄλσος simpliciter etiam per ναὸν explicat recentior Scholiastes Pindari ad Olymp. VII. ant. 3. quo significato apud Sophoclem legitur Electr. 4. ubi conf. Erfurdtii mei nota. Accedit, quod senarii exitus θεῶν ἀνάκτορα ex Rhes. 516. ab aliquo hic potuit adscribi.

V. 16. κρηπίδων βάθροις dictum puto pro simplici κρηπίσι, cuius pleonasmī exempla dat Porsonus ad Hec. 302. et Hermannus in libello de Ellipsi et Pleonasmō in Wolfii et Buttm. Museo antiq. stud. V. I. p. 206. In proximo autem versu verba Ζηνὸς Ἐρκείου intelligo de Iouis simulacro ex noto illo poetarum loquendi more. De simulacri fundamento pluralis κρηπίδες occurrit Iph. Taur. v. 995. κενὰς κρηπίδας — λαῖνας ἀγάλματος. Fallitur Musgranius, qui, ut demonstrat, simplex κρηπίς nonnunquam pro βωμῶ dici, affert Lycophr. v. 1191. et Orph. Argon. 790. (corrige 990. in Herm. ed. est